

ad populum occiduas partes incolentem; quæ duæ Scriptiones inter Acta Concilii sexti generalis habentur, quibus addi possunt Synodus quini-sexta Can. 1. Synodica litteræ Theodori Hierosolymitani, quæ recitatae sunt Actione tertia Synodi septimæ, Epistola Tarasu Patriarchæ Constantinopolitani, totiusque adeo Synodi septimæ generalis, quæ extat Actione septima ejusdem Synodi, & Anastasius Bibliothecarius ad annum Justiniani Imperatoris vigesimum sextum. Certe tot luculenta testimonia Conciliorum, & clarissimorum Scriptorum, qui disertis verbis asserunt, Origenem in quinta Synodo generali fuisse damnatum, rem extra omnem dubitationis aleam ponere debent, ita ut nemo prudens & sapiens Theologus contra excipere, vel præscribere possit. Unde, justa de causa Eminentissimus Annalium Parens Baronius ad annum Christi CCLVI. invehitur in eos, qui pro Origene jam ab Ecclesia damnato Apologias concinnare præsumunt: *Miratus sum, inquit, post damnationem ejus ab Anastasio Papa Pontificia auctoritate inflictam, post ejusdem reprobationem in quinta Synodo pronunciatam, post tot antiquorum Patrum in ipsum conspirantes sententias, adhuc recentiores quosdam ausos esse novas edere Apologias, & auctoritate Ecclesiæ Catholicæ judicatas sæpius controversas denuo temere agitare.* Quid, amabo, dixisset doctissimus ille Cardinalis de Petro Halloixio acerrimo Origenis Vindice, qui non solum ipsius vitam, virtutes & documenta libris quatuor fufissime complexus est, ejusque doctrinam ab omni erroris labe totius ingenii sui viribus purgare ac vindicare studuit; sed, quod gravius est, ut facilius persuadere posset, Origenem in quinta Synodo non fuisse damnatum, non dubitavit asserere, Patres Conciliorum generalium sexti, & septimi, necnon antiquos Scriptores, qui Origenem in quinta Synodo proscriptum fuisse testantur, omnes ad unum errasse, eosque incidisse in Acta Synodi quintæ corrupta & adulterata? Hac in re sane modestiam & reverentiam sanctis Patribus debitam in Halloixio desiderare cogor, quam penitus exuisse videtur.

At, inquit Halloixius, nulla in actis quintæ Synodi Origenis extat damnatio, nec ullum de hac Origenis damnatione in V. Synodo facta apud Victorem Turonensem, vel Facundum Hermianensem, Scriptores coævus, apparet vestigium. Falso itaque asseritur, Origenem in quinta Synodo fuisse damnatum. Hoc est potissimum Halloixii argumentum, quod certe utroque pede claudicat. Nam, præterquam quod mere negativum est, ac subinde, juxta Critices disciplinæ regulas, ad infirmanda locupletissima, quæ mox in medium produximus, testimonia, fat virium habere non potest, falso præterea supponit, nullam in actis quintæ synodi extare damnationem Origenis. Quid enim, sodes, sibi volunt hæc verba, quibus Theodorus Cappadox Origenis Patronus probaturus, *Theodorum Mopsuestenum,*

stenum, licet jam vita functum, posse jure ac merito damnari; sic Collatione V. Patres Synodi quintæ allocutus est: Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos, necnon etiam Origenem quod nunc & in ipso fecit & vestra sanctitas, & Vigilius Papa religiosissimus antiquioris Romæ. Fatente igitur Theodoro Cappadoce Origenistarum Principe a Synodo quinta & Vigilio Papa Origenes fuit damnatus. Quid etiam sibi vult Anathematismus undecimus in Collatione octava quintæ Synodi his verbis conceptus: Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eurychem, Origenem, cum impiis eorum scriptis talis Anathema sit. Extat itaque in Actis quintæ synodi, velit nolit Halloixius, expressa Origenis damnatio. Sed, detur Halloixio nullam in Actis quintæ Synodi extare Origenis damnationem, inde tantum sequitur, Acta quintæ synodi ob suppressam illam Origenis damnationem fuisse truncata & mutilata, sive id Origenistarum fraude factum sit, ut non immerito suspicatur Baronius, sive id contigerit propter nimiam festinationem eorum, qui Latinam interpretationem actorum quintæ Synodi ad usum Vigilii Papæ & Occidentalium curarunt. Cum enim illi interpretes totam Orientales inter & Occidentales controversiam in trium Capitulorum negotio versari animadverterent, parum curarunt de Origenis damnatione, quæ tum temporis unanimi consensu ab utraque Ecclesia facta & recepta fuerat, sed maxima festinatione acta quintæ Synodi exscripserunt dumtaxat quantum ad ea, quæ trium Capitulorum proscriptionem spectabant, ut ea ad Vigilium Papam cito transmittere possent. Hinc Summi Pontifices Pelagius I. Pelagius II. & Gregorius Magnus, dum referunt Decreta quintæ Synodi generalis, meminere dumtaxat damnationis trium Capitulorum, nulla de Origenis in ea synodo damnatione facta mentione, quia acta quintæ Synodi, quæ initio in Occidentem delata fuerunt, Latine cum magna festinatione, ut diximus, exscripta, aliud omnino non continebant, quam trium Capitulorum damnationem.

Plura non addam ad confutandam Petri Halloixii, qui a viris eruditissimis Huetio, Norisio, & Alexandro jure merito vapulat, singularem sententiam, qua semel confutata, nullo negotio etiam refellitur alia opinio Joannis Garnerii, qui in *Dissertatione*, quam edidit, de quinta Synodo, contendit nullam in ea habitam fuisse de doctrina Origenis cognitionem, sed tantum in quadam alia Synodo Constantinopoli sub Menna hujus Civitatis Episcopo habita, quæ a veteribus quintæ Synodi nomine etiam appellata est, quæque quintam Synodum universalem aliquot annis præcessit. Hæc, inquam, Garnerii sententia non solum ex his, quæ contra Halloixium adduximus, locupletissimis testimoniis confutata

manet, sed etiam valide refelli potest ex verbis, quæ leguntur in secunda Professione fidei, quæ habetur in libro diurno Romanorum Pontificum, ubi, postquam actum est de quatuor prioribus Synodis Œcumenicis, subnectitur: *Hæc igitur Sancta atque universalia quatuor Concilia, etiam sanctum quintum Concilium venerandum effectum est, & sub pie memoriæ Justiniano Principe apud Constantinopolitanam Urbem est congregatum, cujus salutaris consultu, unus de Sancta Trinitate Dominus Noster Jesus Christus veraciter prædicatus est &c. in hoc Origenes cum impiis discipulis & sequacibus, Didymo, & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis persecuti sunt, æternæ sunt condemnationi submissi: In eo Theodorus Mopsuestenus Auctor Nestorii, pariterque Diodorus &c. Cum his & Epistola, quæ Iba dicitur ad Marim Persam, & scripta Theodoretæ adversus Beatissimum Cyrillum, cum condemnatione projecta sunt &c. inter hæc veneranda universalia quinque Concilia, etiam sanctam sextum Concilium universale prædicamus.* Quibus ex verbis manifesto patet, Origenem, ejusque Sectatores, Justiniano Imperatore, non tantum in aliquo privato Concilio, ut contendit Garnerius, sed in quinta universali Synodo Constantinopoli celebrata fuisse damnatos.

Hæc te, erudite Lector, in hac Præfatione præmonere necessarium esse duxi, quo videlicet inter legendum ea, quæ in Historia quinti, & sexti Ecclesiæ sæculorum de Diptychis, & de quinta Synodo dicenda occurrent, actutum intelligere posses. Nunc duo a te vicissim reposco. Primum est, ut pro me, qui Historiæ Ecclesiasticæ literarium mare immensum ac procellosum ingressus sum, Deum Opt. Max. roges ut me in tam morosa & diuturna peregrinatione omnipotenti gratia sua illuminet, dirigat, atque ad optatum portum feliciter tandem perducatur. Alterum est, ut huncce secundum Historiæ Ecclesiasticæ Tomum, in quo eandem, quam in priori, methodum teneo, attento lubentique animo lætare haud graveris. Et sane, si te veteris Romæ Ruderum, Templorum, jamque vetustate exesarum statuarum aspectus magnopere delectat, quanto majori voluptate te afficere debent retroactorum sæculorum Ecclesiæ memoria, Sanctorum Martyrum trophæa, Summorum Pontificum, & Imperatorum Christianorum gesta, Episcoporum successiones, Hæresum Historia, Conciliorum Decreta, Sanctorum Patrum Doctrina, & antiquæ Ecclesiæ politia, morumque disciplina? *Hæc sunt, inquit egregie Tertullianus in libro de Spectaculis, voluptates, hæc spectacula Christianorum Sancta, perpetua & gratuita. In his tibi ludos Circenses interpretare, cursus sæculi intueri, tempora labentia dinumera, metas consummationis expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad subam Angeli erigere, ad Martyrii palmas gloriare.*

To-

Tomum istud alterum quinti & sexti Ecclesiæ sæculorum complectentem Historiam, a Viro peritissimo & in sacris studiis summe exercitato *Ignatio Hyacintho Amat de Graveyson*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, Ordinis Prædicatorum compositum, autoritate ac imperio Reverendissimi Patris Antonini Cloche totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistri Generalis sedulo perlegi summa cum animi voluptate, magnoque ipsum rerum sacrarum studiosis adjumento esse posse censeo: nec dubito quotquot seposito partium studio pii & eruditi hoc Opus legerint, quin mihi assentiantur, multoque plura & majora hac mea testificatione sint bona hac in Historia Ecclesiastica reperturi: in ea quippe nemo non jure demirabitur stili candorem omnis fuci expertem, brevitatem cum rerum ubertate conjunctam, eruditionem reconditam, mirabilem gestorum colligationem, methodum facilem ac perspicuam qua suo quæque ordine paucis perstringuntur, ne longioris studii spatio & decursu, vel nodis quæstionum alienarum intricatissimis, & vix aliud quam temporis jacturam allaturis, juvenes Theologiæ candidati ab Historiæ Ecclesiasticæ cultu deterreantur. Cum igitur Tomus ipse alter ab omni nævo contra Fidem, aut bonos mores erroris alienissimus sit, dignum illum censeo, qui publica luce donetur, & omnium teratur manibus.

Datum Romæ, in Conventu Minervitano Fratrum Prædicatorum die 25. Aprilis anni æræ Christianæ 1717.

Fr. Antonius Bardou, Sac. Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, & Cathedralicus Casanatensis, Ordinis Prædicatorum.

Jussu Reverendissimi Patris Antonini Cloche Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis, Tomum secundum Historiæ Ecclesiasticæ variis Colloquiis digestæ, ab admodum Reverendo Patre Fratre *Ignatio Hyacintho Amat de Graveyson* sacra Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo elaboratum, accurate, ac diligenter perlustravi: de quo idem omnino, quod de primo ejusdem Operis Tomo, candidum judicium ut lubens feram, me extimulant tum orthodoxa doctrina, uberiorque rerum Ecclesiasticarum perities: cum tersum dicendi genus, methodusque sibi constans, quæ hic ubique resplendit, ubique micare comperio. Quamobrem, cum primum doctissimi Auctoris de Historiæ Ecclesiastica volumen summo cum applausu ab Viris literatis, & Historiæ Ecclesiasticæ studiosis exceptum sit, nullus dubito, quin hoc secundum, quod quintum & sextum Ecclesiæ sæculum complectitur, parem præstantissimo concinnatori famam apud æquos rerum æstimatores conciliet.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam die 24. Maji anni 1717.

Fr. Patritius Plonket Sacra Facultatis Parisiensis Doctor & Collegii Casanatensis Theologus, Ordinis Prædicatorum.

IN-

I N D E X C O L L O Q U I O R U M

Quæ continentur in hoc Secundo Tomo.

C O L L O Q U I A

In Historiam Ecclesiasticam V. Sæculi.

C O L L O Q U I U M I.

- D**E statu Ecclesiæ in quinto sæculo sub Imperatoribus Christianis. Pag. 2
 COLL. II. De Hæresibus, quæ Ecclesiam in quinto sæculo infestarunt, ejusque
 sinum lacerarunt. 10
 COLL. III. In quo exhibetur series Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæcu-
 lo præcipuas Sedes occuparunt. 19
 COLL. IV. De Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, &
 de variis Factionibus, in quas distracti sunt Episcopi Catholici. 28
 COLL. V. De Viris illustribus, qui eruditione & pietate Ecclesiæ in quinto
 sæculo multum splendoris contulerunt. 38
 COLL. VI. De Doctrina, Disciplina, & Morali quinti Ecclesiæ sæculi. 61

C O L L O Q U I A

In Historiam Ecclesiasticam VI. Sæculi.

- COLLOQ. I. **D**E statu Ecclesiæ in sexto sæculo sub Imperatoribus & Re-
 gibus Christianis. 60
 COLL. II. De Controversiis, Hæresibus, & de causa trium Capitulorum, quæ
 in sexto sæculo afflixit Ecclesiam. 67
 COLL. III. De Conciliis in sexto Ecclesiæ sæculo celebratis, & de rebus quæ
 in his gesta sunt. 75
 COLL. IV. De successione Episcoporum, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesiæ Se-
 des, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam,
 & Constantinopolitanam occuparunt. 84
 COLL. V. De Viris illustribus, qui sexto Ecclesiæ sæculo doctrina, & pietate
 claruerunt. 92
 COLL. VI. De Doctrina, Disciplina, & Morali Christiana sexti Ecclesiæ sæ-
 culi. 100

HISTO-



H I S T O R I A

E C C L E S I A S T I C A

V. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.



Historiam, & Disciplinam quinti Ecclesiæ sæculi sex Colloquiis explanabimus. Primum erit de statu Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis. Alterum, de Hæresibus, quæ quinto sæculo emerferunt & Ecclesiæ sinum lacerarunt. Tertium exhibebit seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes eodem sæculo tenuerunt. Quartum erit de Conciliis, quæ ad extirpandas Hæreses variis in locis fuerunt celebrata, & de nonnullis Factionibus, in quas distracti fuere quidam Catholici Episcopi. Quintum erit de Viris Illustribus, qui perdoctis Operibus quintum Ecclesiæ sæculum illustrarunt. Postremum explicabit Doctrinam, Moralem, & Disciplinam, quæ eodem sæculo quinto fuit observata.

Graves. Hist. Tom. II.

A

COL-